



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Octava Conclusio. Emanatio sanguinis occisi ad præsentiam occisoris videtur soli diuino miraculo in horrorem & detestationem tanti criminis tribuenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

Septima Conclusio. *Exhumationes plurimorum corporum, praesertim infantum fiunt à maleficis & sagis.*

CONSTAT Conclusio. Hoc enim Iudices Italiae, Galliae & Germaniae omni tempore obseruârunt, & confessiones sunt liquidae, & oculari inspectione verum esse compertum est, vt alibi latius tractabitur. Exhumant enim corpora, & eis ad nefanda scelera abutuntur. Sic Iacobus Cuiacius Iurisconsultus ait, Rubricam de sepulchro violat. Statim in C. subiungi post titul. de maleficis & math. eo quod malefici saepe sepulchra violent, & abutantur corporibus mortuorum.

Octaua Conclusio. *Emanatio sanguinis occisi ad praesentiam occisoris videtur soli diuino miraculo in horrorem & detestationem tanti criminis tribuenda.*

GENES. 4. de sanguine Abelis dicit Dominus ad Cain: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Iurisperiti ita verum hoc statuunt quod cadauer occisi emittat sanguinem coram occisore, vt ponant indicium sufficiens ad torturam. Boerius in decisione 166. Paris de puteo in tract. Syndicatus, in verbo Tortura, cap. An stetur dicto torti. Allegat ad hoc illud Apocal. Posthac vidi animas intersectorum, clamantes ad Deum, & dicentes: Vsquequo

quod Domine non das iudicium, & vindicas sanguinem nostrum de interfecto-
 ribus nostris. Menochius li. 2. de arbitrar. Iudic. qq. cas. 270. & Boërius plures auctoritates & experientias adducunt. Marsilius in practica criminali. §. diligenter. num. 181. videtur causam referre in diuinationes & incantationes, cum ait. Ex istis diuinationibus & incantamentis sæpè animus hominis inclinatur & inducitur ad credendum aliquid esse, vel non esse: & sic ait. Memini me alias tempore iuuentutis meæ vidisse rem mirabilem & stupendam, dum eram gubernator ciuitatis Albinganæ in partibus Ianuensium ultra Saonam per 30. miliaria. Nam fuerat mortuus quidam homo nocturno tempore, & nesciebatur à quo: Attamen multi erant suspecti de morte sua, & quidam homo senex dixit mihi: Domine gubernator, si vultis scire veritatē huius homicidij, faciatis coram vobis portare cadauer illius mortui, postea faciatis vocare illos, qui suspecti sunt de illo homicidio, & veniat vnus post alium, vbi est cadauer illud, tunc cum superuenit verus homicida, vulnera ipsius fluent sanguinem de nouo: Quo audito feci coram me portare illud cadauer, & feci vocare illos suspectos de vno in vnum, & cum superuenit verus homicida, vulnera illius cadaueris inceperunt effluere, & emittere sanguinem, de quo summè fui admiratus: Attamen nihil dixi, non præstans

fidem tali rei, quæ nullibi probatur: Attamen ex post per plures dies reperta sunt indicia sufficientia ad torturam contra illum verum reum, quem capi feci: qui habita copia indiciorum, absq; tortura confessus fuit se occidisse illum hominem, &c. Dicit autem Boerius de Hippolito Marsilio, quod hoc indicium in exemplo relato nullibi dicit probari, eò fortè quod Doctores non vidit. Multi autem Doct. sunt pro hoc indicio, quos refert Boerius. Causa autem non videtur nisi referri posse in diuinam dispositionem, iuxta Conclusionem positam, quam approbat Iosephus loc. citat.

An maleficus illata damna restituere teneatur.
 13. Præludium. *Cùm in hoc peccato concurrant homicidia, cædes animalium, & damna in temporalibus, aliaq; iniustitie species, nascitur obligatio restitutionis, quæ Reus facere tenetur, si potest, & eius rei confessorius eum admonere debet.*

HOC Præludium resoluitur ex eis, quæ Doctor Nauarrus in Manuali Confessoriorum cap. 15. num. 25. interrogatus à quodam Patre Illustrissimi ordinis Societatis Iesv, respondet: An homicida, latro, aut alius reus, quem Iudex puniuit, teneatur ad soluendum damnum, quod parti intulit: & rectè respondet, quod teneatur. Quia lex naturalis & diuina obligat ad restituendum damnum.